vicissitudo gratissimum rerum omnium condimentum sit, cur
hybernos menses, qui magnam, et mirabilem in tempore vi-
cissitudinem efficiunt non laude dignos contendam? nam quis
dulcissimos arboris fructus amat, quomodo radices sollam, etsi
amaram à trunco abscindendam esse existimabit? Tum
maximè cum mutatio, teste Alberto Magno non fiat nisi
è contrario in contrarium, quanto tristior hyems apparet, tanto
serenior aestas iterum elucescet, quanto acriora, dulcioraque
in tuo sinu desideria illa enutriet, tanto maiori cum
voluptate illis redeunte Vere, et ac reflorescente rerum
natura perfrueris, huiusque temporum vicissitudine fiet,
ut nec fastidium in ista, nec in illa cruciatum suavissima
semper hac delibutus unquam senties. omnes siquidem vicissitudines
quo acerbiores videntur, eo in fine dulciores iucundioresque
homini novarum cupido rerum accidere solent. Oratorum
principem, qui ipsam terrarum dominam et gloriosam victricem
Romam gloriosissime sua triumphabat eloquentia huius
testem rei habere desideratis? qui etsi patrum senatorum,
gravissimorum consulum, ac imperatorum potentissimorum decus
ac gloria, amor civium, delicia populi, totiusque denique patriae
salus ac columen foret. tamen in hac omni quantacunque
felicitate, ita felix non erat, ut vicissitudo tristissima
eum adhuc longè feliciorem redderet. audite huius dulcissimi
Oratoris voces, tales post ereptas, iterumque restitutas sibi
fortunas gravissimis viris cum voluptate, applausu et admiratione
attendentibus cantilenam intonantis; Etsi nihil est homini
magis optandum, quam prospera, aequabilis, perpetuaque